

Præterea. Nihil meretur præmium nisi virtus. Sed virginitati debetur præmium, scilicet fructus centessimus, ut Sancti dicunt, & aureola. Ergo est virtus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut dationes, & sumptus sunt materia liberalitatis, ita delectationes in venereis sunt materia castitatis, & continentiae. In genere autem dationum magnitudo sumptuum exigit specialem virtutem, quæ magnificentia vocatur propter sui difficultatem. Et quia temperantia, vel castitas in cohibendis delectationibus magnam habet difficultatem, ideo illud quod est præcipuum in ista materia, maximam habens difficultatem, scilicet ab omni corruptione carnalis delectationis immunitas, specialem virtutem exigit, quæ virginitas dicitur; unde si virginitas pro sui completa ratione, ut dictum est, accipiatur, sic virginitas est specialis virtus: sic enim nihil aliud importat quam electionem conservandi incorruptionem; & hæc electio, si sit perfecta, ex aliquo habitu virtutis procedere debet. Tamen virginitas super hoc ponit statum virtutis, in quo habitus in actum exire possit. Non autem potest exire in actum electionis incorruptionem servandi, nisi sit incorrupta: quia electio impossibile non est: impossibile autem est incorruptionem amissam recuperare. Sed materiam magnificentiae amissam possibile est recuperare; & quantum ad hoc est dissimile de magnificentia, & virginitate. Alii autem dicunt, quod virginitas non nominat virtutem, sed statum perfectum virtutis: & hac ratione Sancti quandoque eam virtutem nominant: & secundum hanc opinionem facile est respondere ad objecta.

Ad primum ergo dicendum, quod apud Theologos, ut quidam dicunt, virtus non semper est in medio. Sed hoc dicentes ignorant quid sit medium virtutis. Cum enim medium virtutis accipiatur secundum rationem rectam, si aliquid non sit in medio, non est secundum rationem rectam; & sic non potest esse laudabile, neque virtuosum. Et ideo dicendum est, quod virginitas est in medio rationis rectæ: quod quidem medium non accipitur semper secundum quantitatem ejus circa quod est virtus, quæ quantitas est inter superfluum & diminutum, cum sint aliqua virtutes quæ perveniunt ad maximam quantitatem in propria materia, sicut nullus majoribus se dignificat quam magnanimus, nec aliquis majores sumptus facit quam magnificus, ut patet in IV. Ethic. cap. VII. vel VIII. sed accipitur secundum proportionem omnium circumstantiarum ventientium actum: & sic ille qui maxima dona dat, in medio consistit in eo quod mediocritas servatur in dando cui debet, & quod debet, & propter quod debet; & superfluum est in eo quod datur ubi non debet, vel propter quod non debet, etiam si majora dentur. Similiter etiam virginitas quamvis sit in ultimo extremi quantum ad id circa quod est, quia ab omni corruptente delectatione abstinet; tamen est in medio, in quantum alias debitas circumstantias moderate servat: & superfluum esset, si aliquis servare vellet virginitatem quando non deberet, sicut tempore legis Moysi; vel propter quod non deberet, sicut virgines vestales; similiter secundum alias circumstantias.

(1) Al. facit.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dictum est, medium virtutis accipitur secundum proportionem circumstantiarum ad rationem rectam: & quia tempus est una de circumstantiis, non est inconveniens aliquid esse licitum uno tempore quod est licitum, vel virtuosum, si alio tempore fiat: & ideo si in tempore quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus divini operi conjugaliter insistere volebat, aliquis proprio motu incorruptionem servasset, fuisset in extremo diminutionis: quia abstinisset à delectabili omni, quando non debuisset: sed postea facta multiplicatione humani generis, vel colentium Deum sufficienti, non peccasset virginitatem servans etiam in lege Moysi, vel in statu naturæ integræ, si homo non peccasset: nec fecisset contra præceptum, quia multiplicatio poterat fieri per alios, sed supra præceptum.

Ad tertium dicendum, quod status ille virtutis quo virtus in actum suum exire possit, potest amitti sine peccato, & cum peccato indifferenter: tamen recuperatur per penitentiam; sicut aliquis ditissimus magnificus potest dare omnia sua pauperibus, & sic sine peccato suo ei eveniret quod in actum exteriori virtutis exire non poterit. Si autem in turpes usus facultates suas consumat, hoc erit cum peccato; nec tamen per penitentiam statum primum recuperabit. Et ideo virginitas, quæ statum illud (1) dicit virtutis, in quo virtus potest exire in actum, & per peccatum amittitur in fornicatione, & sine peccato in actu matrimoniali; nec unquam per penitentiam recuperatur.

Ad quartum dicendum, quod illud quod est materia virginitatis, potest esse in illis qui nullum habitum virtutis habent, sicut in pueris ante baptismum, in quibus est primus virginitatis gradus quem natura dedit, & sicut in illis qui ad tempus incorruptionem prædictam servare volunt, tamen cum proposito nubendi suo tempore, qui habent secundum virginitatis gradum, nec tamen dicuntur virgines nisi materialiter. Sed completa ratio virginitatis, prout est virtus, non est nisi in illis qui habent electionem conservandi integritatem hæcenus custoditam usque in finem, sive sine voto, vel cum voto; & hæc electio perfecta esse non potest sine habitu informante ipsam. Si autem sit informis, erit actus virtutis sicut virtutem præcedens, sicut & de aliis actibus virtutum contingit.

Ad quintum dicendum, quod temperantia, sicut in III. Lib. dist. xxxiii. quæst. 111. art. 2. quæst. 1. dictum est, principaliter consistit in cohibendo delectationes: unde de principali intentione sua habet quemdam actum interiorem, scilicet electionem refrænanandi concupiscentias; sed exteriori non habet quantum ad id quod est principale in ipsa nisi per accidens, & ex consequenti, in hoc scilicet quod aliquos actus exteriores adhibet ad cohibendum à delectationibus, quos magis imperat quam elicit, sicut recedendo ab aspectibus concupiscentibus: uti enim delectationibus secundum mensuram rationis est de secundaria intentione temperantiæ. Et quia virginitas est principalissimum in temperantia, ideo non habet actum exteriori nisi ex consequenti; sed omnino usum exteriori concupiscentiæ cohibet.

Ad sextum dicendum, quod ille qui habet unam virtutem, habet aliquo modo omnes, non tamen quantum ad omne id quod est in virtute, sicut qui

qui habet liberalitatem, quandoque non habet magnificentiam quantum ad statum illum quo possit exire in actum exteriori; & similiter qui habet temperantiam, non habet statum quem virginitas (1) dicit, propter imperfectionem; quamvis habeat id quod facit rationem virtutis in virginitate: sicut è contrario propter perfectionem Christus habet charitatem, non tamen fidem, propter statum imperfectionis quem fides importat, etsi habeat quiddam est perfectionis, & virtuositatis in fide.

Ad septimum dicendum, quod materia virginitatis, quam fatuæ virgines habere possunt, aliquis male utitur, non autem virginitate accepta secundum suam completam rationem.

Ad octavum dicendum quod viduitas, & matrimonium non important aliquem alterum gradum circa materiam temperantiæ, sicut virginitas: unde non est similis ratio.

ARTICULUS III.

Utrum virginitas major sit omnibus virtutibus.

2. 2. quæst. CLII. art. 5.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod virginitas major sit omnibus virtutibus. Decor enim est de ratione virtutis. Sed virginitatis decor est maximus. Ergo ipsa est maxima virtutum. Probatio mediæ. Ambrosius in Lib. de virginitate cap. IV. dicit: *Pulchritudinem quis potest majorem estimare decore ejus, scilicet virginis, quæ amatur à Rege, probatur à iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, semper innupta, ut nec amor finem habeat, nec damnus pudor? Hæc autem perfecte vera pulchritudo est cui nihil deest, quæ sola meretur audire à Domino: Tota formosa es, &c.*

2. Præterea. Cyprianus dicit (in tract. de habitu virginum pene in princ.) *Nunc nobis ad virgines sermo est: quarum quo sublimior gloria est, major cura. Flus est ille ecclesiastici gemitus, decus atque ornamentum gratia spiritualis, illustrior portio gregis Christi.* Ergo idem quod prius.

3. Præterea. Majus præmium majori virtuti debetur. Sed virginitati debetur maximum præmium, scilicet fructus centessimus, & aureola. Ergo &c.

4. Præterea. Maxima dignitas virtutum est quod per eas Deo conjungimur. Sed propinquissime Deo conjungit virginitas: quia incorruptio facit esse proximum Deo, ut dicitur Sapient. V. & in Apoc. cap. XIV. dicitur, quod virgines sequentur agnum quocumque ierit. Ergo est maxima virtutum.

5. Sed contra est quod in littera dicitur, quod cælibatus Joannis non præfertur conjugio Abrahamæ.

6. Præterea. Bernardus dicit super Evangelium, *Missus est, hom. 111. quod plus placuit (Deo scilicet) humilitas Mariæ, quam ipsius virginitas.* Ergo virginitas non est maxima virtutum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod una virtus & quantum ad actum, & quantum ad habitum potest dici excellentior alia dupliciter, scilicet per se, & per accidens. Per se quidem mensuratur actus virtutum ex ratione objecti sui, ex quo speciem habent; sed per accidens ex parte subjecti, sicut actus etiam in par-

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. facit. (2) Al. corporale ut corporali adjunctum. (3) Al. enumerari. (4) Al. summam decoris.

vis rebus dicitur melior, si fiat ex magis prompta voluntate, vel tempore magis opportuno, & aliis infinitis modis: quia causæ per accidens infinitæ sunt, & propter hoc relinquuntur ab arte. Unde hac comparatione ommissa, sciendum est quod cum bonum spirituale sit nobilius, & melius quam bonum corporis, virtutes illæ quæ habent pro objecto bonum spirituale, sunt simpliciter meliores quam illæ quæ habent aliquod (2) corporale adjunctum: & ideo virtutes intellectuales, & theologice sunt digniores quam virtutes morales, quæ sunt circa actus, & passiones aliquo modo corporales: & inter virtutes morales, illa per se loquendo est melior quæ magis appropinquat ad prædictas; quæ quidem appropinquatio potest attendi dupliciter. Uno modo quantum ad convenientiam subjecti, & dignissima: & sic justitia, quæ est in voluntate, est propinquissima: & post hoc fortitudo, quæ est in irascibili, quæ est quasi quoddam confinium rationis, & sensualitatis, ut in III. Lib. dist. xxvi. quæst. 1. art. 1. in corp. dictum est; & ultimo temperantia, quæ est in concupiscibili. Alio modo potest attendi propinquitas virtutis moralis ad intellectualem prout disponit ad ipsam; & sic inter omnes morales propinquissima est temperantia, quia per delectationes, quæ sunt ejus materia, maxime nata est ratio (3) enervari; & inter partes temperantiæ præcipue castitas, quia in delectationibus circa quas est ratio totaliter obruitur. Unde Commentator dicit in VII. Physic. com. xx. quod castitas maxime valet ad scientias speculativas; & in genere castitatis præcipue virginitas. Sic ergo dicendum est, quod virginitas non est dignior omnibus aliis virtutibus; sed est dignior aliquo modo omnibus virtutibus moralibus, & simpliciter, & per se loquendo omnibus speciebus temperantiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod delectationes circa quas est temperantia, sunt turpissimæ, ut in VII. Ethic. patet, cap. 11. eo quod sunt in communibus nobis & brutis: unde temperantia, quæ has cohibet, præcipue vendicat sibi pulchritudinem communem omnibus virtutibus, sicut fortitudo vendicat sibi difficultatem, justitia rectitudinem: & propter hoc virginitas, quæ est summus temperantiæ gradus, (4) summum decorem sibi vendicat; non tamen sequitur quod sit dignissima virtus.

Ad secundum dicendum, quod omnia verba prædicta Cypriani, quæ excellentiam ostendunt virginitatis, pertinent ad pulchritudinem: unde eodem modo dicendum est sicut ad primum. Vel dicendum, quod virgines habent cum virginitate alias virtutes; alii autem non habent virginitatem cum aliis virtutibus; & ideo non est eadem ratio comparandi virginitatem cum aliis virtutibus, & virgines aliis omnibus.

Ad tertium dicendum, quod aureola est præmium accidentale, & fructus similiter. Præmium autem essentialiter est dignius accidentali: ideo, simpliciter loquendo, illæ virtutes sunt potiores quibus majus præmium essentialiter debetur: præmium autem accidentale non tam respicit virtutis radicem quam statum virtutis. Et præterea aureola non solum virginibus debetur, sed & martyribus, & doctoribus; fructus autem soli continentiae debetur, in qua summum locum tenet virginitas: quia per continentiam reprimuntur illæ delectationes quæ maxime gustum spiritualis dulcedinis impediunt, quem fructus suo nomine importat.

(1) P. (2) P. (3) P. (4) P.

Ad quartum dicendum; quod incorruptio facit esse proximum Deo, in quem corruptio non cadit, per quamdam similitudinem imitationis: & quia Deo magis possumus esse similes mente quam carne, ideo incorruptio mentis, quæ omni peccato opponitur, & per omnem virtutem est, facit Deo esse proximum. Sed virginitas habet utramque incorruptionem: & ideo quantum ad plura facit Deo similem, scilicet in corpore, & anima, ratione cujus dicitur quod sequitur agnum quocumque ierit; & Ambrosius dicit, quod nihil ei deest. Nec tamen sequitur quod magis facit virginitas Deo proximum quam omnes virtutis, sed secundum plura.

Ad quintum dicendum, quod in littera matrimonium Abrahamæ æquiparatur cœlibatui Joannis quantum ad meritum personarum; quia tantum merebatur Abraham in conjugio, sicut Joannes in virginitate, quia ex æquali promptitudine serviebat Deo secundum statum sui temporis: & hæc comparatio est per accidentalialia virtutum.

Ad sextum dicendum, quod humilitas videtur virtutibus propinquissima esse, quia per eam homo se ex reverentia Deo subjicit, & per consequens aliis propter Deum: & ideo, simpliciter loquendo, virginitatem humilitas excedit.

EXPOSITIO TEXTUS.

Maledicta erat sterilis, quæ non relinquebat semen super terram. Hæc maledictio non est culpæ, sed poenæ; non tamen quantum ad defectum naturæ quem habet virginitas in prole defectu, sed quantum ad infamiam, quia opprobrio habebatur.

Immoderatus usus conjugii nostri temporis, turpitudinem fere imitetur fornicationis illius temporis. Hoc dicitur quantum ad intentionem eorum qui nunc ut plurimum contrahunt matrimonium propter infirmitatem libidinis, quæ ratione antiquitus fornicabantur: & ideo addit fere, quia fornicatio omnis erat peccatum mortale; non autem omnis immoderatus usus conjugum.

Facilius continere possent, quam nos scilicet possumus, propter magnitudinem virtutis quæ in eis erat, vel quam ipsi possent matrimonio conjungi, conside-

DISTINCTIO XXXIV.

De personis legitimis.

Nunc superest attendere quæ personæ sint legitimæ ad contrahendum matrimonium. Legitimæ judicantur personæ secundum statuta patrum, quæ diversa sunt. Aliæ numquam fuerunt legitimæ ante legem, aliæ sub lege, aliæ in tempore gratiæ. Item in primitiva Ecclesia quædam erant legitimæ quæ modo non sunt. Earum vero quæ modo legitimæ, vel illegitimæ, quædam sunt plene legitimæ, quædam omnino illegitimæ, quædam mediæ. Plene legitimæ sunt quibus non obviat votum continentiæ, vel ordo sacer, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturæ frigiditas, & si quid est aliud. Penitus vero illegitimæ sunt per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. Mediæ vero sunt nec plene legitimæ, nec omnino illegitimæ per frigiditatem, vel per conditionem. Si enim tales junguntur ignorantier, commanere possunt quibusdam accedentibus causis, & eisdem deficientibus dividi.

De frigidis separandis.

De his enim qui causa frigiditatis debitum reddere non possunt, consultit Gregorius (a) ut permaneant. Sed si mulier causatur dicens: Volo esse mater, & filios procreare: decrevit ut uterque eorum (1)

(4) Al. Sanctius est. (1) Nicolai: cum septima.

Ex Edit. P. Nicol. Ejus nomine in Decretis refertur causa xxxiiii. quæst. i. cap. Requisti. Sed non ali-

septima manu propinquorum juret quod numquam carnaliter convenerunt; & tunc mulier secundas nuptias contrahat; vir autem qui frigidæ naturæ est, absque spe conjugii permaneat. Ait enim sic: „Interrogasti de his qui matrimonio juncti sunt, & nubere non possunt, si ille aliam, vel illa alium ducere possit. De quibus scriptum est: Vir & mulier si se conunxerint, & post dixerit mulier de viro, quod coire non possit cum ea, si potest probari quod dicit per justum iudicium, alium accipiat. Si vero ille acceperit aliam, separentur.“ Item: „De his requisisti qui ob causam frigidæ naturæ dicunt se non posse invicem operam carni dantes commiseri. Iste vero si non potest ea uti pro uxore, habeat eam quasi sororem. Quod si retinaculum conjugale voluerit rescindere, maneant utrique innupti: nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniet? Igitur si vir aliam uxorem vult accipere, manifesta patet ratio, quia suggerente diabolo odii fomitem, exosam eam habuerit, & ideo eam dimittere mendacii falsitate molitur. Quod si mulier causatur, & dicit: Volo esse mater, & filios procreare: uterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis jurejurando dicat, (2) quod numquam per commissio-

De his qui impediti maleficiis coire non possunt.

De maleficii autem impedimento hoc tenendum decernitur, (c) quod si per sortiaris, & maleficas concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus illa eveniunt, ut spiritu conrito, & humiliato Deo, & sacerdoti de omnibus peccatis confessionem faciant, & lacrymis, atque elemosynis, orationibus, & jeuniis Domino satisfaciant; & per exorcismos, ac cætera ecclesiasticæ disciplinæ munimina ministri Ecclesiæ tales sanare procurent. Quod si non potuerint, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis viventibus quibus post junctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiam si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Quod in fine hujus capituli continetur, ex rigore magis dictum intelligendum est quam ex canonica æquitate. Vel intelligendum est non posse reconciliari prioribus, nisi iudicio Ecclesiæ, quo divisio facta fuerat.

De furiosis addit.

Furiosi quoque, dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non valent. Unde Fabianus: (d) „Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur.“ Item Nicolaus Papa: Hi qui matrimonium sani contraxerunt, & uni ex duobus, vel ambobus amentia vel furor, vel aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem talium conjugia solvi non possunt. Similiter est etiam sciendum de his qui ab adversariis excæcantur, vel membris truncantur, vel à barbaris exsecti fuerint.

De his qui cum duabus sororibus dormiunt.

De his etiam qui cum duabus sororibus, vel cum duobus fratribus dormiunt, videndum est quid censeant canones. (e) „Qui dormierit cum duabus sororibus, & una ex illis ante fuerit uxor, neutram ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri unquam in conjugio copulentur.“ Item: „Nec propriæ uxori licet sibi reddere debitum, quam sibi reddidit illicitam, sororem ejus cognoscendo; nec post mortem uxoris licet ei, vel adulteræ copulari in conjugium. Item Zacharias Papa: (f) „Concubisti cum sorore uxoris tuæ. Si fecisti, neutram habeas: & uxor tua, si non fuerit conscia sceleris, & continere non vult, nubat in Domino cui vult. Tu vero, & adultera sine spe conjugii maneatis, & dum vivitis, poenitentiam agite.“ Quod ait, „Cui vult nubat,“ intelligendum est post mortem viri. Unde Gregorius: „Qui uxores suas in adulterio deprehendunt, nec ille, nec illa aliam uxorem accipiat, vel alium virum, quamdiu ambo vivunt. Si vero adultera mortua fuerit, vir ejus, si vult, nubat, adultera vero numquam, etsi mortuus fuerit vir In IV. Sent. Tom. V. P 2 „ejus,

(2) Al. ut numquam. (3) Al. additur ita. aliter quam ex illius epistola sine indice speciali notatur. Nec videtur ex Gregorio Magno sumptum, apud quem non occurrit, ut nec aliud ibi præmissum caput ex epistola Joanni Ravennati scripta prænotatum. An Gregorii junioris est, ex quo Panormitanus refert? Velut ex Gregorio quoque indefinite citat Cœlestinus III. cap. Laudabilem extra de frigid. & malef. ubi quæ de septima manu propinquorum sequuntur, videre est, idest septem propinquis presentibus, & simul jurantibus, ut infra. (b) In Concilio apud Compendium habito, ex quo refertur in Decretis ut supra causa xxxiiii. quæst. i. cap. Si quis. (c) Ut videre est in Decretis ibid. cap. Si per Sortiaris, quod ex Hincmaro prænotatur; sed nullus additur index; ut nec expresse apud illum occurrit, etsi ex ejus opusc. de divortio Lhotarii, & Thetbergæ Reginæ Tom. XV. Biblioth. PP. sparsim colligi potest. (d) Causa xxxiiii. in Decretis quæst. vii. cap. Neque, ut & ibid. cap. Hi qui habentur quod mox refertur ex Nicolao, nempe I. ad Carolum Moguntinensem rescribente. (e) Ex Concilio Aurelianensi prænotatur causa xxvii. quæst. ii. cap. Qui dormierit; sed in illo non reperiri appendix notat. Sensum illius porro in Concilio I. Moguntino cap. lvi. & in Concilio II. sub Rabano cap. xxxix. inveniri causa xxxii. quæst. vii. cap. Item qui dormierit annotatur. (f) Quod subjungitur ex Zacharia Papa, & Gregorius (sed non Gregorio Magno) eadem causa xxxii. quæst. vii. respective habetur cap. Concubisti quoad Zachariam Papam, & cap. Hi vero quoad Gregorium.